

tuum etiam præstat levamen ac solatium; denique adversus vagas libidines & fornicationes, hæc societas remedium est efficacissimum. Ast hic operæ pretium, Deum frequentibus sollicitare precibus, ut conjugem probam, virtutibus ornatam, quivis inveniat, & ut in conjugio foveantur concordia, sincera dilectio. Sedulo cavendum, ne solum oculis uxor ducatur. Amor quidem est desiderium pulcri, & pulcritudo amoris est alimentum. nihil autem forma sine virtutibus. Præterea non insigni gradu nobiliorem & superiorem, sed quodammodo æqualem eligere juvat. *Si vis nubere nube pari. Par pari jugato conjunx: quod impar est dissidet.* Politici futuro marito virginem ducendam monent: at viduas quoque bene moratas, supellectili instructas, & curæ domesticæ longo usu assvetas, nonnunquam associare prodest: sicut proverbium Svecan. sonat: *den som får en Anctia/ han får både Borden & Båndet.* Concludit tamen rectius maxima pars cum Hesiodo, puellam accipere oportere, ut gratis moribus eam imbuere possis. Viduæ ad primi mariti mores assvetæ non facile flectuntur, neque deerunt illis querelæ, se primis fuisse cariores; sæpe prioris encomia in successoris ignominiam occinunt. Vid. B. Doct. Gezelii Encycl. Nob. Gyldenstolpe, & Jacob. Martini.

§. IX.

Secunda Societas naturalis vel simplex est *paterna*, ubi parentes, ut personæ superiores, habent potestatem in liberos, certis limitibus ac cancellis circumscriptam, quæ minime se in jus vitæ ac necis extendit. Debent parentes in pietate, non atrocitate, liberos tractare, & post generationem ex ratione facultatum sustentare, variis requisitis illis prospicere; non ad luxuriam & voluptatem

sed necessitatem. *Unumquodq; naturaliter ex eo alimentum accipit, ex quo genitum fuit.* Arist. I. Pol. c. 10. De hac re, nos animalia bruta informant, quæ imaginem naturalis *sapientis* insignem satis declarant. Officium quoque ostenditur in liberis defendendis; unde summam ac diligentem curam habeant, illorum informationis, præcipue ut cognitio Dei illis fiat familiaris, ac S. literæ mentibus in tenella statim ætate instillentur. Jactis vero feliciter quodammodo fundamentis veræ religionis, parentes sibi inspectionem demandatam sciant, ne sodalitio & commercio improborum natura liberorum flexibilis corrumpatur; sed in honestis artibus, vel mechanicis, vel si opes suppetunt, filios ad ædes Musarum ablegent, juxta illud Epicteti: *Cura ut filios tuos eruditos magis, quam opulentos relinquant: præstant enim eruditorum expectationes, quam indolentium divitiarum.* Et, cum nemo vivat ex vento, ut loquitur *Spenthal* sumptus ex paterno affectu largiantur: ante omnia præceptores, & moribus & eruditione clari, illis fovendi, quo temporis successu supra vulgum sapere possint. Ne memoria ac familia extingvatur, de commoda & congrua liberorum in matrimonium elocatione, sint parentes solliciti. Liberi, ut personæ inferiores, juxta præceptum Dei: *Honora patrem & matrem tuam*; Parentibus suis reverentiam, obedientiam, dilectionem, timorem, gratitudinem, ex filiali & spontaneo animo tribuant. Hoc dicitur recta ratio, & S. Scriptura, ut illos, e quorum sanguine nostrum habemus esse, quorum studio, sudore, laboribus, habemus bene esse, post Deum magni æstimemus. Paulus Ephes. VI. officium liberorum erga parentes ob oculos ponit: *Liberi obedite parentibus vestris.* Huc tendit & hoc: *Audi fili patrem, qui te procreavit, & matrem senem ne contemnite*

temnito. Quid enim parentibus bonis & jam jam senio confectis dulcius & gratius, quam videre liberos representare effigiem indiciaq; virtutum suarum? Animum ergo gratissimum, & summam patientiam in parentum infirmitatibus, modestiæ pallio tegendis, habeant paratam, si nullo alio modo innumera parentum beneficia recompenfare possint: sic erunt longævi super terram, & à DEO, omnium patrum patre, bona spiritualia & temporalia, certo expectabunt.

§. X.

Mortalium naturam imperii avidam scribit Sallust. in Jugurt. nihilominus tertiam Societatem, scil. *berilem*, in familia perfecta ac bene disposita dari, ac summe necessariam esse, constat. Servitutem Christianæ pietati & Reipublicæ non repugnare, sed ex ea infinita potius commoda fluere, partim ex Sacris, partim humanis scriptis, longa etiam ac bona consuetudine probari potest. Illam vero gravem, & crudelem exulare jubet libertas Christiana, nec servos ac mancipia tractandos, hodiernus usus feliciter admonet; quamvis servi non proprii juris sint, sed dominis subjecti. Noachus imprecatur nepoti suo *Camani* Gen. ix. quod *maledictus sit, & servus servorum*: unde Jus Canonicum eruit, causam servitutis ebrietati transcribendam, Sed si hæc maledictio non fuisset facta, nihilominus tamen servi darentur: nec antediluvianos servis potuisse carere verosimile est. De hac re posunt conferri *Meditationes Politica Bechmanni*, Manifestum quidem est, quosdam homines ea ingenii felicitate pollere, ut non solum sibi met ipsis possint prospicere, verum etiam regundis aliis sufficere: non tamen mox *natura servi* sunt; sed *Servilia habent ingenia*. Neque manet Dominis potestas sæviendi in servos, quia liberi sunt & mer-

cena-

cenarii, nec turpia ac inhonesta negotia illis herus expedienda commendet. Præterea servum opera fideliter expedientem victu ac amictu dignari herus obligatur. Servus conversa vice ad nutum domini omnia sibi commissa, fide ac diligentia singulari, ex amore & obedientia elicitata, suscipiat, molestias patienter ferat, laboribus susceptis finem imponat. Hujus societatis officia a B. *Prætorio* fusius explicata videas. Hisce jam levi manu tactis subsistimus, cæteras *societates compositas* sicco pede prætereuntes, accuratorem ac sublimiorem ventilationem desideranti Politici abunde exponent.

CAPUT TERTIUM.

§. I.

Hisce ita in antecessum prælibatis, antequam ad alia membra hujus nostri instituti propiorem accessum faciamus, absurditatem illam, quam infert spuria causarum Societatis, in limine recensitarum confictio, paucis aggredimur, existimantes, haud rationibus subtilibus in re aperta opus esse, *Sensumq; dimittere in iis, quæ sensibus sunt manifesta, & rationem querere, infirmitatem esse intellectus.* (a) Itaq; primo a sententia eorum, qui homines *per accidens* coaluisse dicunt, divortium facere mandant Oracula Sacra; ubi talis causa accidentalis nullum fundamentum habet, nec habebit. In admirationem ergo potius, quam refutationem talis dementiæ, animus rapitur, nisi forte Epicurus, hujus originis auctor, per fortunam & accidens, Christianorum more & Theologicè, divinam gubernationem ac providentiam intellexerit, ut notat Nob. Gyldenstolpe. (b) Neque ad castra aliorum fugere possumus, qui statuunt homines *miraculi causa* in unum congregatos. Qui

pau-

paulo accuratiori mentis scrutinio hæcce perpenderit, ex cerebellis quorundam Poëtarum progenita, & mærum figmentum fabularum esse dixerit. (γ) Parum meliorem æstimamus fictionem quorundam, dicentium, *Musicam*, vel *Eloquentiam*, aut *Religionem*, homines in societates allexisse: quæ opinio ridicula ac inepta facile corrui, si præsupponamus artes hæc non sine informatore potuisse addisci, adeoq; societatem aliquam prius exstitisse, quam in societatem beneficio musices homines compellerentur. Eloquentiam ac Musicam ad ineundam & continuandam conversationem, haud parum facere non imus incicias. Religionis quoque causa multos conjungi, juxta illud Stigeli:

*Utq; alios alii de religione docerent,
Contiguas pietas jussit habere domos.*

Illa vero locum inter causas Societatum non mereri recte judicat Nob. Gyldenst. Rationes hæc & pluribus imaginationibus minus ponderosis si promerem ac enumerarem oppositas, excitarem majus tædium quam fructum: nec multitudo errantium parit erranti patrocinium. Solummodo quam firmo stet talo sententia *Grotii*, *Platonis*, videre restat: etiam nodum, ut ipse putat, *Gordianum Hobbesii*, in Sequentibus solvere conabimur.

§. II.

Nullius quidem auctoritati quidquam derogatum volumus; sed ut proverbium monet: *Amicus Plato, & omnes alii magni nominis viri, maxime tamen amica veritas.* Hæc tres sententiæ ut vix differunt, sed pari passu ambulant, in unum eos examen convocare licet. (α) Homines nunquam in sylvas & solitudines dispersos secessisse, & instar ferarum vagam degisse vitam, velut commentum quoddam futile explendum dicimus. Ad hæc homini magnam libertatem conce-

concedimus, universonum autem genus humanum *in mero statu naturali*, ubi neuter alteri parebat, exstitisse, S. paginæ adversatur, quæ Evam imperio sui mariti, Adami, subjectam testatur. In hoc statu omnia omnibus esse communia, non ultra honestatem & rectæ rationis dictamen debere extendi, apparet vel ex *Observationibus Doct. Osiandri in Grotium*, & non solum in statu *destituto*, sed etiam *instituto* ac innocentæ, obtinuisse divisionem rerum, ac distinctionem dominiorum. Et quamvis unitatem requirit salus Societatum, hæc tamen in omnium æqualitate non consistit; sed velut *Musicam* non constituit *μετρίωσιον*, sed harmonia ex variis intervallis conflata, ita concentus animorum ad societatem est necessarius. Ad hæc ex communiōne bonorum plures excitantur discordiæ, quia omnes omnia sibi ex æquo tribuunt. Falsum etiam est, & à veritatis tramite recedit, quod *Hobbesius* dicit, unicuiq; secundum juris naturalis fundamentum licitum esse, quibusvis mediis in suam defensionem uti, nullo habito respectu honestatis: scilicet adversus illos defensionem esse licitam, abs quibus ipsi periculum imminere sana ratio revelat, ne in legem naturæ peccet. *Statum hunc esse bellicum, & voluntatem semper ad pugnam paratam docet Hobbesius.* Falso: siquidem auctoritas S. pandectarum, fallere nescia, statum *institutum* fuisse pacificum, & homines invicem potius esse amicos, quam hostes arguit. Adamo namque ex terra producto adjungitur sociæ, quæ, ut ex ipsius carne & ossibus formata, singulari amore ad illam accendebatur. Ex hisce duobus, quicquid est mortalium, cum descenderit, non vulgaris amicitia ex similitudine naturæ resultabat, sed talis, qualem unus sanguis, una stirps conciliabat. Homines ergo sese invicem metuere, falso niti principio

patet; quod nempe perpetua erat inclinatio nocendi, ob æqualitatem virium. Posita hac falsa hypothesi, forsitan Hobbesius aliquid obtineret, si genus hominum subito è terra fuisset prognatum. Nob. Pufend. De J. N. & G. affirmat, vires æquales voluntatem nocendi potius refrænare, quam incitare esse idoneas, quia nemo cum æquali in pugnam descendere amat, nisi necessitate urgente, aut ubi occasio rei bene gerendæ fiduciam subministrat: exitus enim ab incerta pendet alea. Inde Schytæ apud Curt. I. VII. *firmissimam inter pares amicitiam volunt, & videntur pares esse, qui non fecerunt inter se periculum virium.* Hominem in solitudine relictum, miserandum animal esse, mutum ac turpe pecus, & pacem naturalem citra aliorum præsidium in se defendenda maximè debilem, ob ferociam barbariemque depravatæ hominis naturæ constat. Et inde necessitatem societatum sponte largimur: nihilo secius ipsam naturam, ut antea dictum, esse causam interius moventem largimur. *A natura potius, quam ab imbecillitate orta est amicitia; societas adplicatione magis animi, quam cogitatione, quantum illa res utilitatis esset habitura, coalescit; inquit Cicero. Ulterius in Officiis pergit: Si omnia nobis, quæ ad victum cultumque pertinent, quasi virgula divina suppeditarentur; quilibet tamen socium studii quereret, cum vel docere vel discere cupiat. Si vel maxime ob aliquo neque boni nec mali in me proficisci possit: nihil in se is habet, quod vel metuum, vel desiderem; tamen & hunc tanquam cognatum & æqualem haberi natura vult.* Vid. Nob. Pufend.

§. III.

Angves obruto capite postremum cauda minantur, sic Hobbesius fiducia solita, ratiociniis speciosis suffultus, adhuc in contrariam partem aliquid sic molitur: *Si homo homi-*

hominem amaret naturalitèr, id est, ut hominem, nulla ratio reddi possit, quare unusquisque unumquemque non æque amaret, ut æque hominem; aut cur eos frequentaret potius, in quarum societate, ipsi potius quam aliis defertur honor & utilitas: sic per consequens, omnem societatem vel commodi vel gloria causa, hoc est, sui, non sociorum amore contrahi. Ad hoc respondet. Nob. Pufend. Confundi communem societatem, cum peculiaribus & arctioribus: nam ad communem amorem revera nulla alia ratio est necessaria, quam quod quis homo sit; quod autem quis alium majoris amoris gradu præ altero prosequitur, facit admirabilis ingeniorum diversitas, quod hic magis idoneus ac proclivis ad commoda illius promovenda, aut quod propius ipsorum origines distent. Præterea contra Hobbesium recta ratio indicat, ita deberi operam dari proprio commodo, ne commodum societatis lædatur, sed per mutuam auxilium vita consistat, & incrementa capiat. Ulterius respondemus, distinguendo inter *statum institutum, & destitutum*: in illo mutuam benevolentiam omnium, amorem non fucatum, summa ista Paradisiaca integritas extingvi non permittit: in hoc autem luxuriantes odii ac inimicitiae motus, antipathia, execranda corda mortalium occupant, turbantq; ac sæpe jam valet illud: *Non amo te Volusi, nec possum dicere quare: hoc tantum possum dicere, non amo te.* Imo hominum ferociam tantam esse, ut homo homini sit lupus inimicissimus. Nec inde, quod homo per disciplinam sit capax societatis, statim actu, saltem aliquando, eum societatem appetere, valet illatio; siquidem natura semper propendet ad confortium aliorum, quamvis ad societates civiles & politicas, bene gerendas, non sufficit aptitudo naturalis, nisi accedat fœdula informatio ac exercitium. Hæc ut in compendium

mittamus, dicimus, naturam nullo modo excludi posse: ut enim claudicat hoc, quod homines absoluta necessitate urgente in societatem compulsi sint, ita absurdum est dicere, quæ petita sunt ex infallibilis veritatis Oceano Sacro, convenire cum illis, quæ philolophi & Poëtæ de primo statu produunt, qui noctuæ fuerunt in hoc puncto; uti est mens D. Osiandri in Grotium. Sic subverso fundamento, omnia quæ superstruuntur, levi aurâ evertuntur. Laborat ergo falsâ hypothesi conclusio Scoti in L. II. Dist. 29. Q. I. *Rebellionem esse in homine existente in puris naturalibus, quia naturale est unicuique appetitui, ferri in suum appetibile.* Osiander dicit, omnem rebellionem, omnem pugnam in homine, non secundum naturam, sed contra eam esse, non ex creatione, sed defectione; non ex prima origine, sed peccato.

CAPUT QUARTUM.

§. I.

Expansis tenui crena meæ intentionis velis, nunc exigente ordinis ratione manus ad vincula Societatum compendiosè applico. Primum *Amicitiam* omni societati admodum utilem, jucundam, & necessariam, dicit Platon. Veram, inquam, amicitiam maximi esse momenti in societate generis humani, liquet, adeo ut prima societas sit, animorum studiorumque consensio, quæ morum similitudini innixa, & vitæ usu mutuisque officiis firmata, permanat in varios multiplicesque usus. Utilitatem ejus commendat Siracides c. 6. *Amicus fidelis, protectio, qui autem invenit illum, thessaurum invenit.* Egregie etiam Cassiodor⁹: *sine amico omnis cognatio est tedium, omnis operatio labor, omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum, sine ejus solatio vivere,*

est

est mori. Auctor nobilis hujus clenodii est ipse DEUS, qui omnes, in proximum benignos affectus declarantes, immense diligit. Omnis enim societas constat concordia & consensu, qui morum comitate & humanitate conditur. Contra, feritas & inhumanitas est pestis omnium societatum. Scilicet amici, non natura, sed electione fiunt; operæ ergo pretium est, eligere amicos bonos, paucos, quorum mores non abhorrent a nostris; sed convenient, quantum fieri potest ætate, dignitate, consiliis, ut præsertim benevolentia illibata sine discrimine & intermissione vivat: hinc antiquissimum est effatum: *Similitudo est amicitie mater.* Omnibus quidem hominibus una & communis est natura; sunt tamen peculiare quidam igniculi, in singulis hominibus, ad amicitias copulandas. Optime Seneca: *Tu omnia cum amico delibera, sed de te ipso prius: post amicitiam credendum est, antea judicandum.* Expedi probatos amicos amare, non amatos probare. Præclara enim hac compage hominum cœtus conservari, & hisce columnis ipsam rempublicam inniti, extra controversiam est. Improbi vero ex conversatione rejiciendi sunt: quia amicitia horum semper est suspecta. Amicitia vim quandam transformativam in se complectitur: talis quis redditur, qualis cum quo conversatur. Sicut quæ liquefacta sunt, eam assumunt formam, quam habet typus, in quem injiciuntur: sic etiam amicitia veterem formam exurit, novam inurit amici. nimirum in quem animus sic liquefactus illabitur, firmissimam amicitiam, a similitudine virtutis proficiscentem, æstimam⁹: magna pro in cautio habenda, ne hoc vinculum arctissimum frangatur, & inimicitarum flammæ incenduntur, & sic amica societas in horribilem convulsionem mutetur.

C5

§. II.

§. II.

Ad confirmationem societatum, firmissimum fulcrum est quoque *Justitia*, quæ ut salutatur fons & thessaurus virtutis, sic neminem DEO similiorem esse patet, quam virum justissimum. Eloquentiæ parens Cicero dicit, eam esse *fundamentum perpetuæ commendationis & fame, sine qua nihil potest esse laudabile. Alia virtutes possessores suos potissimum perficiunt, eorumque gratia functiones suas exercent; Justitia autem tota refertur ad alterum, & procurat bonum publicum; ut actiones edat, non suæ solum, sed potius alienæ utilitatis, & quidem communis ac reipublicæ studio, & nequiquam hæc carere possit, si vita salva ac immunis sit, a furum ac latronum injuria.* D. Rudrauffius in Institutionibus moralibus. Hæc suum cuique tribuit, DEO cultum, Magistratui obedientiam, majoribus reverentiam, minoribus humanitatem & comitatem, oppressis tutelam, dubiis consilium, Quod ubi fit, omnia ad utilitatem & gloriam aliorum referuntur, vixque societates ruinam minari possunt. Difficile quidem est, actiones secundum illam corrigere: multi enim jura noscunt, non statim legibus mandata agunt, quia appetitus in diversum nos trahens rationi repugnat; ut nihil ipsi svavius, quam injurias exercere, vim inferre, oblivioni cœdissimæ tradere justitiam. Hæc tamen non est observatu impossibilis; & quamvis in animo variæ existant cupiditates, juri reluctantes; nihilominus ratio judicat, decoram esse symphoniam omnium partium animi, ad justam normam mensurandarum; cujus rei ineffabiles fructus à priori & posteriori, à causa & effectis deprehendi, cuilibet, absque ampliori probatione, in aprico est.

§. III.

§. III.

In omni Societate debet etiam ordo esse conspicuus, qui justitiæ temperatæ maxime est affinis; ac solum vinculum, vel ut spiritus vitalis, & formalis ratio, universæ societatis salutanda. *Ordo est officii & actionis similitudo omnium eorum, quæ inter se conferuntur.* Plato. Quicquid in republica certo quodam ordine continetur, & illius ductu & auspicio regitur, non potest non esse cum maximis bonis conjunctum: contra, cum nullus adest ordo, vel cum male res sunt constitutæ, non potest non maxima rerum perturbatio inde existere: quæ quidem bonum illum ordinem, omnemque eam, quæ ex illo proficiscitur, utilitatem interturbat. Omnia promiscua vi ac licentia involvere prohibet S. Scriptura, quæ vult, ut aliis imperemus, aliis pareamus, quosdam esse superiores & dirigentes, alios inferiores & dirigendos, teste quoque statu & dignitate temporum, annuente jure naturæ: ut n. mundus sine sole, sic societas civilis absque Magistratu fluctuans labitur. August. de Civ. c. 19. Omne bonum, tam naturale, quam civile, & morale, in ordine constituit: pax, inquit, corporis est ordinata temperatura partium, pax animæ rationalis ordinata requies appetitionum; pax animæ rationalis, ordinata cognitionis actionisque; consensus; pax corporis & animæ ordinata vita & salus animantis; pax hominis mortalis & DEI immortalis, ordinata in fide sub æterna lege obedientia; pax hominum ordinata concordia; pax civitatis ordinata imperandi & obediendi concordia civium; pax cœlestis civitatis, ordinatissima & concordissima societas fruendi DEO & invicem in DEO; pax omnium rerum, tranquillitas ordinis. Cicero etiam indicat, nihil tam aptum esse ad jus conditionemque naturæ, quam imperium, sine quo nec do-

mus

mus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec mundus potest. Non ergo ordo hic sine imperio concipitur.

§. IV.

Summum præterea & optimum societatis humanæ vinculum & nexus est *Religio*: quippe sine religione nulla respublica, nulla societas hominum bene disponi potest. Quare recte statuitur, hanc esse basin & incolumitatem omnium Politiarum, & religionis censum in civium animis inesse debere. Illa namque ostendit copiose, DEUM esse omnium rerum initium, medium, finem; illiusque vim & potentiam per omnes universi partes efficaciter permanere: illius providentiam invigilare rebus humanis: justum esse omnium scelerum vindicem atque ultorem, neque illius vindictam ullum mortalium evitaturum, qui ejus legem violaverit. Sine sanctitate *religionis* inania forent vincula amicitiae, ordinis ac justitiae. Hac præclara virtutum compage crescunt familiae, publici hominum coetus hac constituuntur, ipsa respublica his incolumis nititur, hinc juris fontes aperiuntur. Plato notat *εὐπλεχίαν* virtutis esse, cognitionem Dei, quæ est vera sapientia: & nihil tam societati adversum, quam ignorantia Dei, & neglectus religionis; cum sine hac non possit esse felix respublica, nec leges sine sapienti cognitione esse possint: sapientis autem illius cognitionis caput est Dei cognitio, quam minimè absolvit superficialia opinio, sed accurata contemplatio. Sanctissimi hujus numinis existentia ex revelatione luminis naturæ clara est; ex fontibus S. Scripturæ clarissima evadit: illius ergo æstimatio non in intellectus speculationibus satis est tuta, quo minus voluntas pium ac religiosum cultum affectibus pravis purgatum declaret,

ret, & omnia nostra opera placitis ejus conformentur. *Vivere omnes beate volunt: sed ad pervidendum quid sit, quod beatam vitam efficiat, caligant.* Sen. de Vit. B. c. i.

CAPUT QUINTUM.

QUEST. I.

An vita Kosaccorum, ut sic, sit societas appellanda?

Horum crebro fit mentio in novellis, & versantur ad inferiorem partem fluvii Borysthenis, qui hodie *Nieper* & *Nester* dictus, vel cum adjectione literæ D. *Dnieper*, & *Dnester*; ortum trahens in *Moscovia*, ex terra plana & palustri, modico in occidentem flexu *Smolensko* oppidum, & *Kiova* præterlabitur; ubi diversarum gentium confinia concurrunt, præter *Moscovitas* & *Polonicæ* ditionis *Russos*, nonnullæ *Turcicæ* præfecturæ attingunt: ut constat ex observationibus *Matth. Berengeri*, super *Tacit.* Hic tot nationum, non satis pacatarum, congerie, velut *panispermia*, non potest adhuc, quamvis multis seculis, pax consistere: itaque immensa isthic camporum spatia, multi agri ob latrocinium vel metum jacent inculti: huc ad prædas ex hostico agendas solent confluere omnis generis homines, quidam egentes, quidam rerum capitalium damnati, quidam, quos vel fortuna, vel leges, in patria esse non sinunt, quidam etiam quasi ad deprædationes nati, qui otio torpent, virtutem oderunt, vitiorum studiofiores, hostem habent, ex quo plurimum prædæ sperant, homines ad solem indurati; perpetuo in armis versantes, omnes ad vicina loca divexanda intenti; siquidem & hoc nomen, *Kazac*, *Tartaricum* est, & significat prædonem. Jam respondemus: Societatem non, nisi in latissima significatione, hisce competere: quia adversa fronte impugnant

gnant voluntatem DEI, cui tale consortium est abominatio. Natura quidem non negamus hos moveri, sed quatenus depravatissimis stimulis tumet, horum etiam voluntas & conversandi necessitas vertitur in rabiem, inhonestis mediis utuntur: dictum illud Paulinum, *Non facienda mala, ut inde eveniant bona*, vel non didicerunt, vel oblivioni tradunt; legem naturæ invertunt; siquidem illam ex utilitate metiendam volunt, quod horridum est dicere & audire. *Si enim juris mensura esset utilitas, vincula societatum in tyrannidem flecterentur.* Nob. Pufend. talia profert verba: *Si quis omnia ad proprium duntaxat commodum referre citra respectum ad alios homines velut, cum ceteris etiam eandem detur viam insistere, non poterit non inde emergere summa rerum confusio, & quoddam velut bellum omnium in omnes; quo statu nihil homini inutilius.* Cum ergo horum natura a rectæ rationis dictamine divertit, nec curant, quod sana ratio utile præscribit; hæc illorum utilitas est spuria, & potius horum vita latrocinium, quam Societas appellanda.

QVÆST. II.

An Brutis Societas competat?

Animalia bruta, infra nostram conditionem posita, non aliter ac ingentia agmina, ad loca varia libere iter facere, ac velut amicitia nexu copulari, in limine hujus exercitii indigitavimus: horum tamen libertas valde est ignobilis, & tanta convenientia ex paritate generis conciliatur; *Parcit cognatis maculis fera,* inquit Juvenalis. Ea quæ ventri inserviunt, ante omnia eligunt, illos maxime venter & venus sollicitat. Quosdam, jus naturale omnibus animalibus commune esse, non pudet dicere: at solummodo juris quasi imagines in brutis repræsentantur; apud aliqua rudimenta matrimonii, sed nuda corporum conjunctione,

& non

& nonnulla benevolentia specie, non fidei religione continentur. *Quod horum libertas exlex sit,* respondet Nob. Pufend. *quia DEUS illis non animum juris intelligendi dedit.* Dicimus ergo illa potius esse congregabilia. Cic. Off. I. dicit, *inter hominem & belluam hoc maxime interesse, quod hæc tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodq; præsens est, se accommodat, paululum admodum sentiens, præteritum & futurum: homo autem qui rationis est particeps, per quam consequentia cernit, principia & causas videt, eorumq; progressus, & quasi antecessiones, non ignorat, similitudines comparat, rebusq; præsentibus adjungit, ac annectit futuras, facile totius vitæ cursum videt, ad eamq; degendam præparat res necessarias.*

QVÆST. III.

An vita solitaria improbanda.

Sicut hominem esse animal sociabile quodammodo evidentum, ita vitam solitariam naturæ humanæ adversari, est evidentissimum. *Memento,* inquit Cicero, *non tibi soli te natum esse, sed partem patriæ sibi vindicat, partem amici, partem concives tui, partem parentes, & universum genus humanum.* Imo tales *μίσανθρωποι* non omen, sed nomen solum, hominis habere dicuntur, eosque vel infra conditionem humanam esse positos, ut bruta quædam, vel supra eandem vel ex altatos, ut ipse Deus, nostra conversatione non egens. Exempla ex Sacris & profanis, quæ nobis opponi possunt, si recte explicentur, nostram assertionem non evertunt; siquidem patet sanctissimos & piissimos, vitam politicam amplexos esse. Solitudinem ergo decet fugere, ut melancholiæ pabulum, an sã tentationis, cum omnia nobis mala solitudo persvadeat. Sic Seneca: *Hominum cœtibus exire ineptum est, antequam e vita excas.* Crates cum vidisset adolescentem, secreto ambulantem, interrogavit: *Quid illuc solus faceret?* *Mecum,* inquit, lo-

quor: Cui Crates dixit: *Cave & diligenter attende, ne cum homine malo loquaris*: existimabat enim solum esse periculis variis obnoxium. Soli homini isthoc adhæret, cum homine vivere, ut absq; eo nec vivat, qui ad societatem natus est. *Vir sapiens, qui operam denegat Reipublicæ, est thesaurus absconditus, qui nemini prodest.* Sirac. Vitam etiam solitariam in Sacris literis tradunt referri inter maledictiones. Non pauci tali abstinentia præ cæteris hodie volunt declarare singularem speciem religiositatis, sinceritatis, se quoq; videri omnibus vanitatibus valedixisse, & vestigia Christi divorumq; hominum directe premere; sed frustra. Hi ergo fictæ sanctitatis cultores, societatum variarum disturbatores in suis secretis angulis, speculationibus profundis, maneat immerfi: nos meliora edocti, societates honestas extollimus & laudamus. Recte ergo concludit B. Liebenthal: *Cum vera inopia & securitas non sit in ecclasiæ & spirituali monastico gaudio, sed potius in carnis & affectuum victoria, istius modi conversationis osorum Monachorum & Eremitarum turpem solitudinem, ventri, somno, libidini addictam, omnino detestamur; quia licet ejusmodi homines certis societatibus se subducunt, tamen sociali naturæ sese opponunt, cum in sodalitiis interdum inhonestis versentur.*

Hæc sunt, *Lector Honorande*, quæ tenue ingenium, & rude tyronis penicillum adumbrare potuerunt: si mihi aliquando cæcutire contigit, Te non omnia rigidè examinare, sed excusare, nec non festinationi ignoscere decet: Me vero *Tuam* benevolentiam ac candorem celebrare. Majora ac meliora ab ingeniis maturis, diuturnaq; lectione exercitatis, sunt expectanda. Ultimo calido pectore voveo, ut finitis hisce societatibus mundanis, in Paradiso, cœlesti rore rigato, societati Omnium Sanctorum conjungamur!

Præstantissime Dn. Studiose,
Amantissime JUNO.

Semina & origo mortalium à societatibus incipiunt. Quæ Deus & natura implantarunt. Scaturiginem ejus naturæ non tribuere, nihil aliud est quam mundi invertere ordinem. Itaq; illi, qui, nescio quos sibi homines fingunt, per deserta loca planè palabundos, quos post sera tandem tempora, aut prudentium facundia aut alia humana industria ad cultiores societates condendas invitarit, valeant & abeant. Ejusmodi cogitationes non modo dignitatem hominum præmunt, verum etiam Altissimo gloriam despoliant. Vetus Philosophorum judicium non sunt de nihilo, *hominem scilicet naturæ esse animal Sociabile.* Sed ne ego ligna in sylvam feram, sufficiat Amicum optimum judicio stabili hoc ipsum discursu publico monstrasse, candidissimas recti aperiens januas, & declinantium premens vestiga. Gratulor itaq; Tibi Amice felicem in bonis studiis progressum, qui nunc punctum veritatis acutegisti; Gratulor Honestissimis Tuis Parentibus illud, quod ex hisce profectibus tuis, mature percipiant gaudium; deniq; ex toto pectore & intimis cordis visceribus voveo, & ardentissimis supremum Numen fatigabo precibus, velit Illud ipsis diuturnum imo perpetuum præstare. Et absoluta societate mundana, Te solidissima atq; candidissima Angelorum Sanctorumq; societate circumdare!!!

Ita vovet ad aras usq; amicissimus
ERICUS SUNDELIUS, Nericus.

Pereximie Dn. JUNO / amicorum Princeps.

Apud omnes sapientes, quis nescit in confesso esse nullum unquam studiorum genus (præter sacrum) exantlatis magnis laboribus; uberiores fructus messis, sudorisq; præmium, suis cultoribus studio politico tribuisse, vel adhuc dum tribuere? Hujus certe usus se ad omnes extendit hominum ordines statusq; citra curam, ad societatem civilem ordinandarum oceano fluctuans, sepissime ad varios ac prorsus difficiles errorum scopulos allisus vacillaret.

laret. E contra Stereliscente hac disciplina, ruinau haud parvā
respublica caperet, leges succumberent & societas civilis nusquam
felix reperiretur. Quid igitur præstabilius ac potentius hoc stu-
dio? cujus beneficio per silvas dispersi, & instar ferarum palantes
homines, ad civilem cultum traducuntur, & in societatem convocan-
tur: per hoc domi & militia cauti circumspēctiq; redduntur: per
hoc ad res consulto suscipiendas, prudenter continuandas, felici-
terq; determinandas probe instruuntur. Unde fit quod nullius fere
studii cupiditas æque hominum cæperit animos ac politices; cui
summum in republica locum assignarunt, cloumq; dederunt, qui-
cunq; fatis publici curam, ideis vanis didicerunt anteferre. Hoc no-
mine tibi Domine Respondens, vinculo necessitudinis mihi con-
iunctissime, quod nemo nisi atra mors rumpere potest impense gra-
tular, quippe qui delibatis decenti curiositate cæteris Philosophia
partibus, huius studii iacunditate, nec non in communi & civili
Societate usu, inque privata vita insigni delectatione, motus, ex ist-
hoc tanquam studio præstantissimo, tibi materiam publicè exercitii
gratia ventilandam elegeras, qua ingenium tuum acueres, dili-
gentia documentum exhiberes viresq; tuas, quante sint, experire-
ris. Quod inter alia luculenter à te ac si ad altiora adspirante, e-
missus hodie prodromus illustris perconcinne proprio Marte elabo-
rata dissertiuncula de Societate Civili testatur. Hoc animo Ma-
Ete hinc enim te larga laboris indefessi manebunt præmia. Ac licet
opus maxime videatur grave, cujus inchoatio (ut jam ferunt tem-
pora) invidia, continuatio labor, finis incertus, tamen incompara-
bilem illam literarum gloriam perpende; qua sive nobilitatem rei,
sive necessitatem usus spectemus, undique ineffabilis est; qua etiam
pauperum & tenui fortuna utentium subsellia summorum thronis
æquat, ut experientia quotidiana docet. Quam ipsam mercedem
Tibi liquidando, tuis laboribus dignam, contingere, ex intimis cordis
visceribus optat & precatur, qui te non minus ob studia egregia
quam morum integritatem sincere amat.

ERICUS E. QWIST / Ingermannus.

Dum ruit adversos acer bellator in hostes
Gallicus, & tristi sidere bella gerit,
Hungariaque volant per barbara regna phalanges:
Et circum, attonitis gentibus, horret Iber,
Tu (si bella licet phœbi conferre cruentis)
Bella geris studiis non aliena tuis:
Lis pro jure Tibi est, pugna fit arena lyceum,
Et sua jam vernans arma cruenta quatit.
Omnis ab ingenio labor est, ratione triumphus,
Et partes peragit lingua diserta suas.
Applaudunt doctis Parnassia Numina curis,
Et numeris gaudent, Pallas, Apollo tuis,
Scandere Parnassum tentas, svavissime JUNGI;
Pergere te moneo: ampla brabea feres.
Jam ver molle tuum est: vernat tibi floribus annus,
Serta tibi necet, turba novena Deum.
En Frater! faciles currant tibi lenius anni,
Nec malus afflictum Te velit esse dolor!
Quin potius vacuum rugis exporriges frontem,
Crede mihi, his poteris vultibus esse meus!

Tenui licet adena, integerrimo tamen amico suo,
ampliori quidem affectu quam verbis,
sic gratulatur

DANIEL MZL. BERG.

Floribus halantes hortos balanisque venustos,
 Insciunt viro prava rubeta suo.
 Ingenium excoquitur, vitique, roseta Minerva
 Venti ceu rapidi, turbine quassa ruunt.
 Inter enim vites surgunt steriles quoque lappæ,
 Quæ laxant foliis libera lora suis.
 Ast nunc letor ovans, Tibi quod carissime Frater,
 Suffocat sensus nulla rubeta Tuos.
 Egregia esto Dea vitis cultusque racemus,
 Qui referes Domina dulcia vina Tue
 Sis alacer, pergas, nec unquam turma malorum
 Trudere Te possit de statione Tua:
 Donec Tu superis insertus & ipse caterbis
 Æternum teneas sacra roseta Dei!

Ex affectu fraterno, toto pectore, arundine
 licet gracili, modulatur

MAGNUS Jung.

